

modo illam indicavit. Quando autem effectus, ob peculiarem conditionem, perfectionem, aut varietatem, plurium causarum creaturarum concursum requirit, vel quod causæ proximæ aliquid virtutis activæ addatur vel suppleatur, tunc necessarius est aliquis prævius motus, quo vel talis concursus causarum, vel additio virtutis in aliqua causa fiat, et tunc etiam necesse est talem motum a Deo fieri, vel cum aliis causis secundis simul moventibus, vel interdum a solo Deo si aliæ causæ desint. Tum autem cum agit Deus solus, non operatur proprie concurrente, sed ut propria et tota causa, supplendo defectum causæ secundæ, ut in creatione animæ rationalis; cum autem quasdam causas per alias movet, ut illæ motæ tandem efficiant, tunc illa motio Dei respectu causarum, quæ, ad alium effectum præstandum, vel inter se, vel ad passum applicantur, vel in sua virtute confortantur, talis motio fit per influxum prævium, et in causam ipsam: tamen ille non est prævius concursus, sed prævium complementum causæ proximæ, vel quoad virtutem et actum primum, vel quoad conditionem requisitam. Unde semper ille motus in his agentibus naturalibus, de quibus nunc tractamus, est vel localis, si tendat ad solam conjunctionem vel applicationem causarum, vel alterationis, si propter aliquod virtutis augmentum fiat.

8. *Continuatur ea explicatio modi quo Deus ex Augustino operatur cum creaturis.* — De utroque igitur modo operandi cum causis et in causis secundis, loquitur Augustinus, et ideo dicit movere Deum *occulta potentia universam creaturam suam.* Et ab Angelis incipit, quibus Deus imperat ut cælos moveant, et inde oriuntur varii aspectus stellarum, et multiplices influxus, quibus et venti excitantur, et aquæ agitantur, et terra fructificat, etc., et ita varii producuntur effectus, qui in prioribus causis virtute continentur, adjuvante tamen et administrante illas Deo, provido motu, id est, necessario, et accommodato effectibus, et causis secundis non supervacaneo, aut naturæ cursum impediente. Nam, ut idem Augustinus dixit, lib. 7 de Civitat., cap. 90: *Sic Deus omnia quæ creavit administrat, ut etiam proprios exercere et agere motus sinat.* Et lib. 9 Genes. ad litter., cap. 19, eandem Dei cooperationem cum creaturis, eisdem fere modis declarans, inter alia dicit: *Natura agit interiori motu, nobisque occultissimo, cui tamen si Deus subtrahat operationem intimam, qua eum substituit et facit, continuo tanquam extincta*

nulla remanebit; ubi per operationem intimam, nihil aliud intelligit, nisi intimum influxum Dei in omnem rem, ut sit, vel fiat. Ideoque, supposita operatione Dei in causam secundam, qua illam conservat, solam operationem in actionem ejus ad ejusdem effectus requirit. Et hæc divina operatio, ut ab infinita sapientia, et potenti voluntate procedit, sufficit ad omnes effectus et operationes causarum universi, ut divinæ providentiæ subsunt, ut optime describit idem Augustinus, lib. 3 de Trinit., cap. 3 et 4. Solet denique allegari Augustinus, 5 de Civitat., cap. 9, et lib. 8 Genes. ad litter., cap. 20, quod dicat solum Deum agere in motum, creaturas autem aliquid agentes omnes esse mobiles. Augustinus vero non dicit agentia creata indigere prævio motu ad agendum, sed solum dicit omnia illa, licet possint alia movere, ipsa etiam esse mobilia, quod verum est, non quia semper indigent motu propter actionem, sed quia omnes res creatæ, sive agant, sive non agant, mutabiles sunt, ut eisdem locis de omnibus infra Deum Augustinus affirmat.

9. *Gregorius explicatur.* — Et juxta eandem doctrinam accipienda sunt verba Gregorii, dicto cap. 16, lib. 16 Moral., ubi inter alia dicit: *Nec ea quæ moventur et non vivunt, suis nutibus ad motum ducuntur, sed ille cuncta movet, qui quædam vivificat, quædam vero non vivificata in extremam essentiam mire ordinans servat;* et infra: *Omnia quæ creata sunt per se, neque subsistere prævalent, neque moveri, sed in tantum subsistunt, in quantum ut esse debeant acceperunt: in tantum moventur, in quantum occulto instinctu disponuntur.* In quibus verbis, licet priora clara sint (solum enim in eis docet Gregorius sicut omnia pendent a Deo in esse, ita etiam pendere in motibus), nihilominus vox illa, *occulto instinctu*, obscura est, et fautores prævii influxus in causam ad illum libenter eam accommodabant, præsertim quia non de animantibus tantum, sed etiam de inanimatis eam Gregorius intellexit. Paulo enim inferius subdit: *Numquidnam hæc quæ inanimata, vel quæ viventia diximus, suis instinctibus, et non magis divinis impulsioneibus agitantur?*

10. *Idem continuatur.* — Verumtamen longe diversa est Gregorii intentio; explicat enim ibi peculiarem providentiam, quam Deus habet circa res insensibiles et elementares universi, in ordine ad hominum vel utilitatem, vel punitionem, propter quos fines interdum Deus occultis impulsibus et motibus, vel per se, vel

per Angelicam creaturam sibi ministrantem ita causas secundas movet et applicat, sicut ad eosdem fines expedit. Unde post illa verba, *occulto instinctu disponuntur*, subjungit: *Ecce enim peccator flagellandus est de rebus humanis. Arescit in ejus laboribus terra, concutitur in ejus naufragiis mare, ignescit in ejus sudoribus aer, obtenebrescit contra eum inundationibus cælum, inardescunt in ejus oppressionibus homines, moventur in ejus adversitate Angelicæ virtutes.* Et ex his subinfert verba superius posita: *Numquid non hæc divinis impulsibus agitantur?* Isti ergo impulsus non pertinent ad essentialia (ut ita dicam) concursum necessarium unicuique causæ ad agendum, sive prævium, sive comitantem, sed pertinent ad prævenientes motiones per quas Deus ordinat causas secundas, et concursus earum ad ejus effectus producendos, quos per misericordiam, vel justitiam, ad homines alendos, vel flagellandos efficere disposuit; unde concludit: *Quidquid est itaque quod exterius sævit, per hoc ille metuendus est, qui hoc interiorius disponit.* Illi autem motus seu impulsus in hominibus vel Angelis, non sunt nisi præviæ cogitationes vel excitationes quæ, servata proportione, etiam in animantibus brutis motis ab externis objectis fieri possunt, ut hoc vel illo modo moveantur, vel operentur, ut in Scriptura habemus exemplum in ovibus quas pascerebat Jacob, quæ, ex apprehensione virgarum varii coloris, effectum aliquo modo similem in colorum varietate producebant; et in asina Balaam, quæ per visionem Angeli sub sensibili aspectu conturbata, et in diversos motus agitata est. In elementis vero et rebus sensibilibus illi impulsus ordinarie consistunt in motibus localibus, aut ab eis incipiunt, applicando varias causas efficientes, vel inter se ad simul efficiendum, vel ad materiam hoc vel illo modo immutandam, ex qua applicatione postea per alterationem varii effectus generationem aut corruptionem sequuntur. Et ita omnes illi impulsus pertinent vel ad externam applicationem causarum, vel ad complementum virtutis earum: postquam autem sic completæ et applicatæ sunt, per solum concursum concomitantem sufficienter et efficaciter operantur.

11. *Catechismi Pii V verba explicantur.* — Deinde ad eundem modum intelligenda sunt verba quædam quæ habentur in Catechismo Pii V, part. 1 de Exposit. symbol., cap. 2, de primo ejus art., num. 20, quæ sic habent: *Non solum Deus universa quæ sunt providentia*

sua tuetur atque administrat, verum etiam quæ moventur et agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis causarum secundarum efficientiam non impediatur, præveniat tamen, cum ejus occultissima vis ad intima pertineat, et quemadmodum sapiens testatur, attingat a fine usque ad finem fortiter, et suaviter omnia disponat. Quare ab Apostolo dictum est, cum apud Athenienses annuntiaret Deum, quem ignorantibus colebant: *Non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur et sumus;* quæ verba alii auctores de illo suo prævio influxu, omni causæ etiam naturali necessario ad agendum, intelligere volunt. Sed incredibile profecto est auctores illius libri eum sensum intendisse, quia valde alienum erat a fine et utilitate Catechismi, quæstionem valde metaphysicam, et incertam definire, et Parochis proponere ut juxta eam populum instruerent ac docerent, cum neque communis populus eam intelligere, neque ipsi Parochi eam percipere ordinarie valeant, aut explicare.

12. *Pergitur in ea explicatione.* — Dico ergo in illo loco solum tradi certam et Catholicam doctrinam, nimirum, divinam providentiam, nec efficientiam causarum secundarum tollere aut impedire, neque causas secundas subterfugere divinam operationem aut motionem, quæ illas prævenit, et ad agendum impellit; quæ duo vel juxta doctrinam datam circa Augustinum et Gregorium intelligenda sunt, quod eas præveniat et impellat, non per generalem concursum a quo earum actio essentialiter pendet, sed per alias motiones et applicationes, quando ad fines intentos per divinam providentiam necessarium est; vel intelligenda sunt generatim, et abstrahendo ab opinionibus, nimirum quod omnes prævenit, vel dando eis virtutes agendi, et conservando illas, vel etiam offerendo concursum et auxilium necessarium ex parte sua, et destinata voluntate sua illud quasi præparando, quaecumque illud sit quando actu datur. Et similiter impellit eas, vel per naturales inclinationes illis inditas, vel per speciales motus superadditos, non semper, sed quando ad virtutem agendi, vel applicationem localem, vel animale (ut sic dicam) necessarium est. Et hunc esse debere legitimum illorum verborum sensum, præter rationem supra factam, constare potest tum ex ratione ibi subjuncta, cum ejus occultissima vis ad singula pertineat, quæ solum probat omnes motus, impulsus, et actiones creaturarum virtute operante divina fieri,

non tamen probant fieri per concursum prævium, aut concomitantem; tum ex testimoniis Scripturæ quæ statim allegat, quæ nihil aliud probant, nisi quod explicavimus, ut ex his quæ de Scriptura diximus constat.

CAPUT XXXVIII.

QUID DE CONCURSU PRÆVIO IN CAUSIS SECUNDIS NATURALIBUS D. THOMAS SENSERIT.

1. *Quæstio de mente sancti Thomæ quæ ex illo colligunt adversarii.* — Venio ad D. Thomam, sub cuius sola umbra et auctoritate, prioris sententiæ auctores eam defendunt, et inter eos Alvarez dixit sine dubio esse expressam sententiam D. Thomæ. Sed sine dubio ita est D. Thomæ sicut Augustini, de quo idem affirmat, non tamen probat, ut notavi. Primum ergo D. Thomas in Summa illam sententiam non docuit, sed potius hanc nostram satis aperte indicat, nisi in sensu improprio per vim exponatur. Solet autem imprimis allegari D. Thomas, 1 p., q. 105, a. 4 et 5 (omitto autem nunc quartum, quia in eo specialiter tractat de voluntate, de qua postea dicturi sumus). In articulo ergo quinto, agit de omni causa secunda operante. Et in corpore ita concludit: *Deus in omnibus intime operatur.* Et hanc assertionem probat ex Scriptura, Isai. 26: *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine,* et Job 40: *Pelle et carnibus vestisti me,* quæ, ut vidimus, in omni proprietate solum probant concursum cooperantem. Hunc ergo in sua conclusione intendit D. Thomas. Quia vero in discursu rationis utitur illis modis loquendi: *Secundum agens agit in virtute primi, et primum agens movet secundum ad agendum, et Deus movet res ad operandum, quasi applicando formam, et virtutes rerum ad operationem;* ideo illi auctores interpretantur omnia hæc dici propter prævium influxum in causam: nos autem dicimus ad omnia illa sufficere influxum in causam dando illi formam et virtutem operandi, et conservando illam, cum concursu concomitante in effectum, quod quomodo intelligendum sit, solvendo argumenta et alia testimonia ejusdem Doctoris sancti declarando, luculentius explicabimus.

2. *Mens sancti Thomæ qui hanc sententiam probat.* — *Locus ex 1 part., quæst. 105, art. 5.* — Nunc vero quod ad istum locum attinet, ex illo colligimus D. Thomam, præter effectivam et conservationem causæ ac permanentis virtutis ejusdem, unam tantum Dei operatio-

nem seu actionem ponere ad generalem ejus concursum, et illam esse concomitantem influxum, et per hoc tacite docere alium prævium non esse necessarium, sicut ex aliis testimoniis argumentati sumus. Assumptum declaramus. Primo, quia cum D. Thomas quærit an Deus operetur in omni operante, maxime interrogat de operatione per se et immediate tendente ad eundem effectum causæ secundæ; hoc enim est quod ad fidei doctrinam pertinet, et contra hoc tendunt omnia argumenta quæ D. Thomas proponit, et occasione quæstionis in hoc sensu intellectæ, ortus fuit error quem in corpore articuli refert. Cum ergo in principio articuli, ex eo quod omnia agunt in virtute Dei, et quod primum agens movet secundum ad agendum, infert: *Et ita ipsa* (utique virtus Dei) *est causa omnium virtutum agentium,* intelligit plane de causa per se et immediate efficiente, seu efficiente ipsam actionem secundorum agentium; ergo in illis principiis, quæ assumit, non loquitur de virtute vel motione prævia in causam, sed loquitur de virtute intrinseca et increata ipsius primi agentis, in cuius virtute cætera agunt, et de motione intima qua secundum agens, per concursum in ejus actione imbibitum, ad agendum juvat. Nam si illa propositio intelligatur de motione prævia primæ causæ recepta in secunda, non inferretur ex ea per locum intrinsecum immediatus influxus Dei in actionem creaturæ, sed ad summum mediante illa motione indita ipsi causæ secundæ. Melius ergo intelligitur illud principium de motione adjuvante concomitante, et simultanea, et imbibita in actione causæ secundæ.

3. Idem sumi potest ex altera ratione quam subdit, quia Deus est causa universalissima totius esse, et ideo intime operatur in omnibus; hæc enim ratio de consensu concomitante concludit, non de alio. Estque considerandum D. Thomam unam tantum ponere assertionem, et ad eam probandam et explicandam omnes rationes dirigere, et variis modis loquendi uti, non quia existimaverit, quotiescumque Deus operatur cum causis secundis, duas semper actiones, seu motiones, aut concursus eis tribuere (nunquam enim hoc ita declaravit), sed ut doceret concursum Dei, etiamsi in ipsa actione causæ secundæ imbibatur, esse altioris ordinis et perfectionis, et oriri ex universalissima virtute causæ primæ cui secunda subordinatur, non vero e contrario. Cum ergo D. Thomas duplicem illam actionem Dei nunquam declaraverit, verisimile non est tam confuse et obs-

cure, et sine speciali probatione illas tradidisse, ubi rem ex professo, et quasi in ultimo testamento disponebat ac disputabat. Cujus etiam argumentum mihi est, quia nihil contra duplicem concursum in argumentis objicit, sed contra unum tantum, et in solutionibus defendendo unum concursum comitantem putat se omnibus difficultatibus sufficienter satisfacisse. De nullo enim alio in solutionibus loquitur, et quæ in eis tradit hunc sensum confirmant, ut breviter per illas discurrendo declarabo, a secunda incipiendo, quia in illa res est clarior.

4. In solutione ergo ad secundum, expresse dixit concursum causæ primæ et secundæ esse unam et eandem actionem, prout procedit a primo et secundo agente, quæ cum sint diversi ordinis, possunt esse principia ejusdem actionis. Idem colligitur ex solutionibus ad primum, si consideretur argumentum quod de immediata actione ipsius effectus procedebat: quia, si talis actio est a Deo, superflua esset actio causæ secundæ, cum actio Dei sufficiens semper existat; quod necesse est intelligi de actione per se et immediata, alias conditionalis propositio impertinens esset et falsa. Respondet autem D. Thomas Deum quidem per illam actionem sufficienter agere, non in omni genere agentis, sed per modum agentis primi, et propterea non esse superfluum cooperationem secundi agentis; ergo ex vi influxus primi agentis nullum alium concursum D. Thomas requirit. Considerandum etiam est argumentum tertium cum solutione; erat enim argumentum, Deum operari sufficienter in omni operante, quia omnibus dedit virtutes operandi, easque conservat. Respondet autem non solum hoc modo operari in omnibus causis secundis, sed etiam eas *applicando* ad agendum, quod verbum *applicandi* statim alii ad concursum prævium applicant. Ego vero, ut responsio D. Thomæ sit sufficiens, inde colligo in phrasi et modo loquendi divi Thomæ etiam applicationem ad agendum secundi agentis a primo, quæ sit per se ac intime, et quasi essentialiter requisita, non esse aliam ab ipsa actione, qua secundum agens, ultimate et quasi in actu secundo, ita applicatur ad agendum, ut passum virtute sua contingat, ac proinde non fieri a Deo, nisi per concursum in ipsamet actione imbibitum. Nam si hoc ita non esset, non satis respondisset D. Thomas, Deum non tantum operari dando et conservando virtutem agendi, sed etiam applicando ad agendum, quia si illa applicatio esset prævia, adhuc ex vi illius Deus non con-

curreret immediate et per se ad actionem causæ secundæ, sel vel per accidens, dando aliquam conditionem sine qua non, vel ad summum, dando complementum aliquod virtutis agendi; quam doctrinam paulo post, tractando locum alium, quæst. 3 de Potent., magis explicabo.

5. Denique ad hoc confirmandum, expendo et declaro verba tituli illius articuli, utrum Deus operetur in omni operante; illa enim particula, *in*, duobus modis potest intelligi; primo, ut dicat habitudinem subjecti, ita ut quærat an omne operans sit subjectum in quo Deus operetur. Secundo, dicere potest particula, *in*, habitudinem intimæ præsentiae ad operandum, ita ut sensus sit an Deus in omni operante operetur, tanquam in illo intime existens, et cum illo intime operans. Quod ergo D. Thomas in priori sensu quæstionem non moverit, facile persuaderi potest ex dictis, quia neque ex argumentis aliquid objicit contra illum sensum, nec argumentum, *Sed contra*, ex verbis Isaïæ sumptum in illo procedit, nec in corpore articuli ad illum respondet, neque aliquam rationem affert, qua responsionem in illo sensu affirmantem comprobet. Intendit ergo alium sensum, quem non solum dicta omnia contrario modo inducta indicant, sed etiam verba principalis assertionis responsivæ aperte declarant; sic enim concludit: *Sequitur quod Deus in omnibus intime operatur,* quod sufficientissime et verissime, ratione conservationis formæ, et virtutis agentis, simul cum concursu simultaneo ejusdem actionis intelligitur. Et explicatur optime ex verbis ejusdem D. Thomæ, 1 part., quæst. 8, art. 1, ad 3, ubi ait, hoc ad maximam virtutem Dei pertinere, quod immediate in omnibus agit: unde nihil est distans ab eo, quasi in se illum non habeat.

6. *Alia loca sancti Thomæ quæ primum illud confirmant.* — Discursum et ponderationem hujus loci, qui in hac materia esse debet capitalis, multum confirmat modus loquendi D. Thomæ de hoc concursu in hac materia de gratia, 1. 2, quæst. 109, fere per totam: nam in primo articulo sic ait: *Actio cujuscumque agentis creati pendet a Deo quantum ad duo, uno modo in quantum a Deo habet formam, seu perfectionem per quam agit: alio modo, in quantum movetur ab ipso ad agendum.* Deinde addit agens creatum per propriam formam habere efficaciam ad effectum sibi proportionatum: ut autem ultra illum agat indigere forma superaddita; satis aperte insinuans ad